

Heinrich Rudolph Redecker

Heinricus Rudolphus Redeker/ IConsultus, Pandectarum P.P. Academiae Rostochiensis p.t. Rector, & ad hunc Actum Decanus, Suo, Amplissimaeque Facultatis Iuridicae, nomine Ad Disputationem Inauguralem, De Quartis, a Viro Clarissimo, Dn. Michaelae Ahasvero Ostermeiero, Osnabr. Westph. conscriptam, & Die IX. Octobris In Auditorio Maiori habendam, Amplissimum atq[ue] Prudentissimum utriusq[ue] Reipubl. Rostoch. Senatam, omnes litteratos, litteratorumque fautores, officiose & amanter publico hoc programme invitavit

Rostochii: Kilius, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741210940>

Druck Freier  Zugang



Viertel der Erbedichte
für Mündigkeit

R U Jahr 1673

Kainich Rudolf Rediker, Praes. / 6
Michael Ahaser Ostermeier, Resp.

Mit Prog. u. Glückw

4-8

HEINRICUS RUDOLPHUS

Redeker/

IConsultus, Pandectarum P.P. A-
cademiæ Rostochiensis p.t. RECTOR,
& ad hunc Actum DECANUS,
Suo, Amplissimæque Facultatis Juridicæ,
nomine

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

De

QVARTIS,

VIRO Clarissimo,

DN. MICHAELE AHASVERO
OSTERMEJERO, Osnabr. Westph.,

conscriptam, &

Die 1 X. Octobris A Monf. Willibrod

In Auditorio Majori habendam,

Amplissimum atq; Prudentissimum utriusq;
Reipubl. Rostoch. Senatum, omnes litteratos, litterato-
rumque fautores, officiosè & amanter publico hoc
programme invitat.

ROSTOCHII. Typis IOHANNIS KILLII. Univerſitat. Typogr. Anno 1673

Salutem!



Uris prudentiæ operam daturi illis omninò præceptis à principio imbuendi sunt: Quod omne jus, quo gentes in universo terrarum orbe utuntur, sit naturale & commune, vel civile & proprium. Isthoc autem docendi ac discendi principium non est de nihili, nec suam summitatem originem ex Jctorum Scholâ; sed antequam jus in artem seu disciplinam redactum tenuit. Adeoque tunc, cum genus humanum, utilitate ac necessitate inevitabili exigente, in societatem coiret, civitates conderet, magistratus crearet, ac leges scriberet, coepit: Nec civilis duntaxat prudentiæ Studiosos, sed & Theologiæ ac Philosophiæ Professores exercet, & læpius in diversas opinionum sectas trahit, uti videre est apud *Arist. 5. Eth. 7. & passim, Platon. in Dial. de Repb. de Justo, & de LL. Cicer. lib. 2. de LL. & lib. 3. de Repb. l. 1. 2. 3. 5. 9. ff. de J. & J. §. 1. 2. Inst. de J. N. G. & C. ubi DD. Svarez. de LL. Lessum, Soro, Molinam, Lugon: & alios de J. & J. Conan. l. 1. Comm. c. 3. 4. 5.* Scitissimè in hanc rem Romanorum politissimus, de principiis juris & varietate ac infinità legum multitudine acturus *lib. 3. ann. Vetustissimi mortalium*, inquit, nullà adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœnâ aut coercionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suo præ ingenio peterentur; & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui equalitas, & pro modestiâ ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenère dominationes: multosque apud populos, æternum mansère. Quidam statim, aut postquam Regum pertesum, leges maluerunt. Hæ primò rudibus hominum animis simplices erant: maximeq; fama celebravit Cretensium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Atheniensibus quasiiores jam & plures Solon præscripsit. Nobis Romulus; ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus & divino jure populum devinxit; repertaque quadam à Tullo & Ancos: sed præcipuus Servius Tullius, sanctorum legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent. Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus patravit, tuenda libertatis & firmanda concordia: creatique decemviri, & accitis qua usquam egregia, composita duodecim tabula, finis

le, *finis equi juris* &c. Ex quibus, & illis quæ, pro more suo, nervosè & exquiritè subjungit, quæq; hic recensere nobis integrum non est, primo intuitu intelligimus, Scriptorem hunc, inter Romanos primum, & quo nemo rerum civilium fata altiùs & accuratius penetravit, per honesta, æqualitatem, atque pudorem; & quod nihil contra morem, nihil malà libidine, omnia sine probro & scelere, sine vi & ambitione in primà hominum consociatione acta, ipsum jus commune seu naturale; per leges autem, quibus dominationes, salus populi, & ratio status causam dederunt, jus civile seu positivum denotare, nec ita à Philosophi vel Jcti institutis recedere *l. 2. 25. ff. de LL. l. 15. ff. de condit. Inst.* Dicitur autem *jus naturale*, tum quia non est primitivè scriptum, aut promulgatum, vel usu aut consuetudine comprobatum, sed quia ipsi homini connatum, ipsisque hominum mentibus insculptum, unde *Cic. pro Ann. Mil. non scripta hæc sed nata lex*, & *Paul. ad Rom. 2. gentes omnes ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis*; Quoniam jus istud cum ipso genere humano rerum natura prodidit §. 11. *Inst. de R. D.* quæ est summa ratio insita à naturâ, quæ jubet facienda, & prohibet contraria *Cic. d. LL. 2.* tum quia natura communis ad isthæc præcepta ducit homines, ut suas se spontè rectæ rationis ductum intelligant. Ita ut ejus juris ignorantia nec in foro fori, nec in foro poli uti DD. loqui placet, excuset, *arg. C. si cupis 16. q. 1. l. 32. ff. de pos. nisi quis truncus potius quam homo videri velit, Jas. ad l. 2. de in jur. voc.* Oritur enim jus illud naturale à natura objecti, & inde, sine ulla promulgatione, vel ulteriori constitutione, se diffundit in præcepta, quæ prohibent turpia & jubent honesta *Molin. de I. & I. tr. 1. D. H. Grot. de jure P. & B. l. 1. c. 1. n. 11. & 12.* Dicitur *jus divinum*, quia auctor naturæ, vel natura naturans, seu ipse Deus, legem illam naturalem cordibus hominum inscripsit, *August. l. 2. de serm. Dom. in monte, Cuiac. l. 1. de I. unde divinâ providentiâ constitutū dicitur §. pen. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* Sed uti omne jus naturale est jus divinū *Corhm. val. 1. conf. 1. n. 6. c. 6.* ita non omne jus divinum est naturale, uti nequicquam putat *Gratianus in dist. 1. C. 1.* Quoniam datur jus divinum, quod, nisi lex in sacro codice scripta esset, ex nudo rationis discrimine nequaquam notum esset. Dicitur *jus commune*, quia omni humano generi ex æquo convenit, & apud omnes, quoniam natura hominum communis est *l. hos accusare §. pen. ff. de accus. per æq; custoditur §. 1. 2. Inst. de I. N. G. & C. l. 2. ff. de J. & J. & ubicunq; eandem vim habet, quemadmodum ignis ubiq;*

ubiq; urit *Arist. l. 5. Eth. c. 7.* adeoq; eidem omnes communiter obtemperare debent *l. 2. ff. de LL.* Dicitur *jus gentium*, quod gentes humanæ sibi constituerunt *d. §. 2. Inst. &* quod ubique gentium obtinet. Non quia ex conventionem aliquã illud justum, hoc autem injustum decretum, id enim, in tantâ hominum multitudinem, impossibile semper fuit; sed quia inter gentes moratiores, & quæ rectæ rationis dictamen audiunt, illa recepta videmus, quæ communi rationi & primis principiis naturalis notitiæ nobis innatis, sine ulla speciali institutione, conveniunt, *Arist. l. 5. c. 7. & lib. 10. cap. 3. Cujas. ad d. l. 1. §. 2. de J. & J.* quâ gentes, quæ legem non habent, illa quæ legis sunt faciunt, & ipsi sibi lex sunt *ad Roman. 2. cœpit enim eo ipso quo gentes esse cœperunt absque ulla constitutione Bart. ad l. 64. ff. de cond. indeb.* Adeoque id dicimus esse *jus gentium*, non quo hæc vel illa gens actu utitur, sed quod primis principiis, & rationis suffragiis convenire, dictitante conscientia, probatur *Rom. 2. v. 14. §. pen. de J. N. G. & C. §. 11. de R. D. Bach. ad §. 1. & 2. Inst. de I. N. G. & C.* adeoque inter *Jus naturale & jus gentium* propriè dictum nullam, vel *Jcti* vel *Philosophi* admittere debent discretionem *d. §. 1. 2. d. l. 9. ff. de J. & J. d. §. 11. & 41. J. de R. D.* quamvis, à diversitate objecti, & diverso persuadendi vel imperandi modo, commodè & eleganter satis in primævum & secundarium distribuat. Quædam enim, quæ juris præceptivi sunt, ex simplici ratione fluunt, uti sunt religio in Deum, pietas & obsequium in parentes, educatio liberorum, defensio sui ipsius, quod fides servanda, & id genus alia *l. 2. 3. de J. & J. l. 1. ff. de const. pec. l. 1. ff. de pact.* Adeoq; studium honesti, & fuga flagitii ex simplici rationis dicto per se innotescit *d. l. 15. ff. de cond. instit. l. 2. l. 25. de LL.* Quædam autem ex ratiocinatione, utilitate nempe ac necessitate exigente, postquam homines ab illis, quæ ab initio juris permissivi seu concessivi fuerunt, uti libertas, & rerum communio &c. desciverunt, in societatem coiverunt, civitates condiderunt, magistratus crearunt, bella gesserunt, dominia distinxerunt, & commercia instituerunt, orta *§. 2. Inst. de I. N. G. & C.* Istæ hæc autem non opponuntur *juri naturali præceptivo*, quod hæcenus est immobile, & semper honestatem vel turpitudinem actibus humanis inesse ostendit; sed *permissivo & concessivo*, quod per se nec honestatis laudem nec turpitudinis notam continet, nisi postquam communi quasi hominum decreto ita placuit. Cæterum quod quædam gentes, spreto rectæ rationis dictamine, furta, quæ, ex hypothesi & post re-

tum

rum divisionem; jure naturali intelliguntur probrosa l. 42. de V. S. quædam autem masculum venerem, quædam esum carnis humana; quædam adulteria & stupra; quædam victimas humanas probarunt, de quibus *Samuel Puffend. de Jur. Nat. & Gent.* Iude non magis jus gentium est determinandum, quam odoris suavitas ex corrupto sensu. Non enim debemus, ut ex *Chrysof. Guil. Grot. de princ. Jur. nat. c. 3. n. 6.* rerum dijudicationem ab illis mutuare quibus corruptus est animus. Peccatum enim, inquit *Arist. l. 5 Eth. c. 10.* non est in lege, nec in legislatore, qui hic est natura naturans & recta ratio, sed in ipsius rei natura, & corrupta mente humanâ. *Cujac. ad l. 9. ff. de J. & J.* Dicitur jus immutabile §. pen. de J. N. G. & C. tum quia est à naturâ; quæ autem à naturâ & providentiâ divinâ constituta habemus, immota sunt & immutabilia *Arist. d. l. 5. Eth. cap. 7.* tum quia ubique eandem vim habet; tum quia homines nec possunt nec debent quæ natura naturans, tanquam superior inferiori præscribit, tollere. Idque adeò verum quidam putant, ut nec à Deo, qui ordinis auctor est, mutari possit *Soto de J. & J. l. 1. Q. 4. art. 5. H. Grot. l. 1. c. 1. §. 10. Guil. Grot. d. l. n. 9.* Hinc etiam dicitur jus necessarium, quia ratione distitante necessitatem parendi præscribit. Quod omne tamen de jure naturali præceptivo, non autem permissivo est intelligendum *H. Grot d. l.* Dicitur tandem æquum & bonum, quia jus hoc naturalis æquitas inter homines constituit l. pen. ff. de J. & J. §. 1. 2. *Instit. de J. N. G. & Civ. l. 1. de min. l. 7. de restit. in integ. l. 4. ff. ad l. Aquil. l. 34. §. 1. de R. J. Arist. d. l. 5. c. 10.* hinc immota illa juris præcepta in l. 10. ff. de J. & J. Jus autem civile, naturali oppositum, est, quod quævis civitas, pro ratione status, sibi jus constituit, unde civile dicitur, quia id non constituit ratio, vel æquitas naturalis, sed civilis §. 2. J. de J. N. G. & C. idque *Arist. d. l. 5. c. 7.* vocat legitimum vel legale, quia lege positivâ, unde etiam positivum vocatur, constat *arg. l. 2. §. 5. 6. de O. J. §. 5. l. d. 1. quod ideo Tacitus per legem indigitat: & à Theoph. in Instit. d. 1. vocatur locale & Herodes, quia loco circumscribitur, & iis quibus cuiq; loco opus est subvenit, eaque, quæ loco illi perniciose sunt, tollit. Hinc proprium dicitur Cajo & Justiniano l. 9. ff. de J. & J. §. 1. Instit. de J. N. G. & C. Politicum *Arist. l. 2. pol. 8.* Hoc tamen jus ex ratione naturali elicitor, non per modum illationis, tanquam conclusio ex præmissis, sed potiùs per modum determinationis & arbitramenti humani *Soto de l. & J. l. 3. q. 3. a. 3. Lopez. anim. c. 4. n. 13.* Unde *Ulpianus in l. 6. de l. & J.* Jus civile est, dicit, quod non in totum à naturali recedit, nec per omnia ei servit, sed ei aliquid addit vel detrahit: quatenus scilicet particularem finem & certos distinctosque ordines in quavis republicâ respicit, applicando & determinando singulares actus & rerû circumstantias ad recte rationis convenientiam. De hujus juris origine *Modestinus in l. 40. de LL.* docet,*

docet, quod omne, vel consensus fecit sc. in statu Politico, vel necessitas constituit, in statu Monarchico vel Aristocratico, aut firmavit consuetudo. De eodem jure etiam agit Tacitus, quando ejus originem partim dominationibus unde jus dominationis dicitur Clapm. de *Arc. Rerū*: 2. p. 1. 4. c. 1. partim patrum factionibus tuendæ libertatis & concordia firmandæ; partim ambitioni adscribit.

Quamvis autem maximam laudem mereantur, qui Juris naturalis principia operosè & magnâ cum industriâ perscrutantur, & in illo componendo stupendam sæpe eruditionem ostentant: Attamen, quia hodiè mortales suo pte ingenio honesta non petunt, nec quæ contra morem sunt intermittunt, sed, in valido legum auxilio & exutâ æqualitate, pro modestiâ ac pudore, omnia vi ac ambitione, demum pecuniâ turbant, ut *Tac. l. 1. ann.* loquitur: nec consultum esse videtur, ut incerto jure utantur cives, cum nec generalia illa juris naturalis præcepta Reipubl. administrandæ sufficiant, quin anarchia eveniat. Itaq; omnium optimè, tum Reipubl. commodo, tum suis invigilant studiis, qui præsuppositis honestatis & æquitatis naturalis principiis, juri civili, quod finem æqui juris laudat *Tacit. 3. ann.* debitam impendunt operam. Hanc autem studiorum & singularem Juris scientiæ laudem meretur Clarissimus Juris Candid. MICHAEL AHASVERUS OSTERMEJER, qui, ut de ejus natalibus & vitâ, laudabiliter hætenus actâ, quædam, uti nobis probata, pro more commentemur. Anno 1641. die 11. Novembris, Furstenoviæ, in ditione Osnabrugensi, natus: Patrem veneratur Virum Amplissimum Consultissimumq; DN. JOHANNEM OSTERMEJERUM, Furstenovientem olim judicem religiosum, ibidemque Vice-Quæstorem fidelissimum, Schvvaistorffiensẽ item Gogravium meritissimum, nunc apud Osnabrugenses Juris Practicum ac civem primarium: Matrem habuit MARIAM MEJERS, Matronam, dum viveret, virtutibus planè clarissimam; Avus ejus paternus fuit b. m. Vir Amplissimus pariter & Consultissimus DN. AHASVERUS OSTERMEJER, Furstenoviensis Judex, Gograviusq; Schvvaistorffiensis per triginta annos laudatissimus: Avia paterna HELENA A SCHNELTEN, materfamilias quondam lectissima & piissima; Avus maternus piæ record. vir honestissimus atque spectatissimus DN. JOHAN MEJER, mercator ac Landsassius primarius in Messinge: Avia materna MARGARETA METTINGS, Foemina olim quovis virtutum decore præstantissima. Longiorem Majorum, sic satis honoratorum, seriem in præsentiarum omitto, cum DN. Candidatus hic noster illis, quæ vix sua esse putat, inclarescere haud aveat. Videns autem prudentissimus pater filium ab ineunte ætate haud vulgarem ingenii spem præ se tulisse, suo nullatenus deesse voluit officio, cumque in scholâ pasriâ orthodoxâ, tum Furstenoviensi, tum Osnabrugensi fidelissimis Præ-

Præceptoribus instruendum formandumque tradidit, ubi referente, Viri Clarissimi DN. M. TOBIÆ CUGELMANNI, Osnabrugensis scholæ Rectoris meritissimi, amici nostri colendi, testimonio, se diligentem obedientemque præbuit; Sed quemadmodum teneræ plantæ, novellæque arbusculæ, è viridario evulsæ, in ampliora transferuntur loca, ut eò citiùs atque felicius crescere, suoque tempore uberiores fructus producere queant: Sic etiam fuit cum Dn. Candidato nostro comparatum, ipse enim anno 1661. consensu Dn. parentis, Lemgovienfes salutavit musas, ubi per integrum annum, sub moderamine p. m. Viri Clarissimi DN. M. THEODORI REDEKERI, scholæ illius tunc temporis Rectoris fidelissimi, non minima tum Philologica, tum Philosophica edidit documenta. Hinc Hervordiam profectus ibidem continuandorum studiorum causâ per quadriennium fidelissimæ informationi Viri Clarissimi DN. M. CHRISTOPHORI KRACHT, istius Scholæ tunc Rectoris solertissimi, se ita mancipavit, ut non solum permultos, ob singularem eruditionem ac pietatem, utor verbis Rectoris, in sui amorem raperet, verum etiam à quoquam idoneus æstimaretur, qui se ad Academica conferret studia. Magno itaque desiderio Rostochiensis hujus Universitatis nostræ inlectus, anno 1666. optimi patris, cæterorumque suorum honoratissimorum cognatorum arbitrio, huc appulit; Qualem autem sese apud nos præstiterit, nec emendicato indiget testimonio, nec ullius adprobatione, siquidem sui ipsius testis est, dum reapse ostendit quid humeri valeant. Meis enim, meorumque consultissimorum nec non excellentissimorum Dn. Collegarum, D. LEMBKENII, D. LAUREMBERGII p. m., D. WOLDENBERGII, D. RADOVII, D. HABERMANNI, & D. SIBRANDI, aliisque amplissimorum Doctorum collegiis & juris prælectionibus, tum publicis, tum privatis, continuo interfuit, seduloque auscultatoris pariter & disputatoris munus obiit, atque adeò quinquennium Justinianicum continuo studiorum nexu feliciter absolvit. Imò adhuc Lytam agens, consilio Viri Maximè Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi, DN. AUGUSTI VARENI, SS. Theol. Doct. ac Professoris hac in Academia celeberrimi, Ducalisque Consistorii Assessoris gravissimi, collegæ & amici nostri æstimatissimi, nostroque tunc temporis Decani Ampliff. Facult. Jurid. ipse, non sine laude, Jurisprudentiam alios docere incepit, idque hîc ad anni ferè spatium continuavit, quippe quod resciscens Generosus, summeque Strenuus Dn. Dn. HANS FRIDERICH A LEHSTEN, Hereditarius in Wardov, Wesselstorff, Dölitz, Bodihn, & Schonav, Consiliarius Provincialis Mecklenburg. suos tres generosæ indolis filios Dn. Dn. GEORGIUM HINRICUM, HELDMUTH JOACHIMUM, & GUSTAVUM ADOLPHUM illi docendos commisit,


quo-

quorum studia studiosè laudabiliterque per annum, & quod excurrit, promovit
An. autè 1671. bone ad nos rediens fato, non tantùm nostrâ iterum informatio-
ne subinde est usus, sed ipse quoque alios juris cultores egregiâ Themidis arte
ultra annum auxit, adeoque nihil illorum intermisit, quæ ad ingenuum juris
cultorem & futurum justitiæ Sacerdotem facere censentur. Sui itaque suorumq;
studiorum fiduciam habens, sua sique Dni Parentis [cujus amorem & beni-
gnum subsidium sibi nunquam satis laudandum asserit] Amplissimæ Facultati
nostræ, Decano me, nomen suum professus, die 7. Maji præteriti anni, in rigo-
roso Jctorum examine, hoc egit, ut unanimis suffragiis ad publicè de jure re-
spondendum, summosque in jure honores ac Doctoralia privilegia capessenda
dignus judicaretur. Sed DEI dū Kiloniensem in Academiam secedentem,
Generosus summeque Strenuus Dn. Dn. DITERICH BLOME, Heredi-
tarius in Testorf &c. & supremus olim Excubiæ Præfectus, ad nostram, no-
strique pariter affinis conjunctissimi, Viri Nobilissimi, Amplissimique, DN.
JOHANNIS CASPARI PFENNINGS, Doctoris Medici experientissimi,
commendationem, tribus item Generosis suis charisque filiis Dn. OVE,
WULF, & GEORGIO eundem præfecit Ephorum. Quam spartam tanto
ornavit & adhuc ornat solertissimorum auditorum emolumento, ut ibidem
non vulgare sui desiderium reliquerit. Tandem tamen Inauguralis Disputationis
suz, quam DE QUARTIS eleganter satis conscripsit, habendæ gratiâ, ad nos
remeavit, & quod ex merito jam antea obtinuerat, haud difficulter impetravit,
scilicet ut sibi daretur potestas, publico examini semet sistere, & quos ex latifun-
dio juris collegit prudentiæ flores, pro summis honoribus, explicare. Cum
autem honestis ejus desiderii de esse nequeamus, quin potiùs ejus studia melio-
rem in modum promoveamus, academicæ adeoq; huic solennitati dies IX. O &
præfinitus est.

Ut autem actus hic inauguralis solenni more rituq;
procedat: Ego omnium ordinum litteratos, litterato-
rumque fautores officiosè & amanter invito, ut studiis
nostris præsentiam suam concedere, ac Dno
Candidato animis linguisque favere
dignentur.


Dabam Rostochii sub Sigillo Facultatis Juri-
dicæ die 28. Septembr. Anno 1673.





Præceptoribus instruendum formandumque
rissimi DN. M. TOBIÆ CUGELMANNI
meritissimi, amici nostri colendi, testimonio
præbuit; Sed quemadmodum teneræ plantæ,
evulsæ, in ampliora transferuntur loca, ut eò
tempore uberiores fructus producere queant
dato nostro comparatum, ipse enim anno 16
vieneses salutavit musas, ubi per integrum
Clarissimi DN. M. THEODORI REDEKE
ctoris fidelissimi, non minima tum Philologic
cumenta. Hinc Hervordiam profectus ibid
causâ per quadriennium fidelissimæ informat
STOPHORI KRACHT, istius Scholæ tunc
cipavit, ut non solum permultos, ob singulat
verbis Rectoris, in sui amorem raperet, verum
maretur, qui se ad Academica conferret studi
chientis hujus Universitatis nostræ inlecti
coeterorumque suorum honoratissimorum c
Qualem autem se apud nos præstiterit, nec
nec ullius adprobatione, siquidem sui ipsius te
humeri valeant. Meis enim, meorumque co
tissimorum Dan. Collegarum, D. LEMB
GII p. m., D. WOLDENBERGII, D. RA
& D. SIBRANDI, aliisque amplissim
juris prælectionibus, tum publicis, tum privat
auscultatoris pariter & disputatoris munus
Justinianeum continuo studiorum nexu felici
agens, consilio Viri Maximè Reverendi, Ampl
GUSTI VARENII, SS. Theol. Doct. ac Prof
mi, Ducalisque Consistorii Assessoris gravissim
matissimi, nostroque tunc temporis Decani A
laude, Juris prudentiam alios docere incepit,
continuavit, quippe quod resciscens Generos
HANS FRIDERICH A LEHSTEN, Hec
Dölitz, Bodihn, & Schonav, Consiliarius Pro
generosæ indolis filios Dn. Dn. GEORGIUM
JOACHIMUM, & GUSTAVUM ADOLP

referente, Viri Cla
nis scholæ Rectoris
n obedientemque
busculæ, è viridario
icicus crescere, suoq;
it cum Dn. Candi
n. parentis, Lemgo
oderamine p. m. Viri
s tunc temporis Re
sophica edidit do
dorum studiorum
fimi DN. M. CHRI
tissimi, se ita man
m ac pietatem, ut or
quam idoneus æsti
que desiderio Rost
6. optimi patris,
bitrio, huc appulit;
ndiget testimonio,
eapse ostendit quid
n nec non excellen
LAUREMBER
HABERMANNI,
tum collegiis &
erfuit, seduloque
eò quinquennium
Imò adhuc Lytam
entissimi, DN. AU
cademia celeberrim
amici nostri æsti
Jurid. ipse, non sine
anni ferè spatium
Strenuus Dn. Dn.
dov, Wesselstorff,
lenburg, suos tres
A, HELDMUTH
tendos commisit,
quo-



the scale towards document